



**Disputationvm De Censuris In Communi,
Excommunicatione, Suspensione, & Interdicto, itemque
de Irregularitate, Tomvs Qvintvs**

Suárez, Francisco

Mogvntiæ, Anno Domini M. DC. XVII.

4 Vtrum poßit ad iudicium cogi vt reus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94035](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94035)

Iam, in vtrisque actibus vitandus non est; & quamdiu non constat fuisse validam, sicut extra iudicium non est priuandus iure suo, ita nec in iudicio, donec de excommunicatione conuincatur. Nihilominus tamen merito id statuitur, quia cum actor in iudicio sit veluti aggressor, oportet vt prius ostendat se non esse impeditum per iura ad agendum contra alium, qui ei exceptionem excommunicationis obicit: quod secus est in aliis actionibus extraiudicialibus, vbi non agit contra alium, sed iure suo vtitur.

Afferio secunda.

⁷ Quae ab excommunicatione non repellitur in iudicio aguntur sunt valida.

⁸ Etiam si excommunicationis sit publica.

Dico Secundo. Ita est prohibitum excommunicato in iudicio agere, vt tamen si agat, & non repellatur, neque ei obiectio excommunicationis opponatur, valida sint omnia, quae in tali iudicio acta fuerint. Ita colligitur aperte ex capite, primo de Exceptionibus in 6. ubi, *Sed si post rem iudicatam talis exceptio proponatur, executionem impedit: sed sententia, quae praestit, non minus robur debitum obtinebit*, scilicet, quam si tempore litis, & lata sententia excommunicatus non fuisset: hic enim est simplex sensus vt Glossa, & interpretes etiam exponunt: ergo non obstante excommunicatione acta in iudicio valida sunt. Non desunt vero, qui putent illud esse ius nouum, nam ex iure antiquo talia acta inuolida erant, vt ibi notat Glossa verb. *Duraturis*, & in capite. *Exceptionem*, de Except. vbi huc videtur esse communis sententia. Sed nec existimo esse satis fundatam: hec nostra refert: satis est enim quod de facto illa sic acta valida sunt. Quod verum est, etiam si excommunicatio alias publica sit, vt notauit Abbas in ca. *Intelleximus*, de Iudiciis, quia notitia, vel fama excommunicationis non reddit personam magis inhabilem. Ratio denique est, quia quamuis actor ex generali ratione priuationis communicationis humane ad iudicio repellatur, nullum tamen est speciale ius, quod irriteret omnia quae sunt ad petitionem excommunicati quamdiu illi excommunicatio non obicitur. Neque ex parte actoris interuenit priuatio iurisdictionis, quae in iudice inuenitur, vt ob eam causam acta illa nulla censenda sint: ergo nulla est sufficiens ratio ob quam huiusmodi acta censeri possint irrita. Quae ratio pro similibus questionibus aduerenda est, & applicanda: & in proposito probat, non solum in causis ciuilibus, sed etiam in Ecclesiasticis, excommunicationem actoris non reddere irrita ea quae in iudicio aguntur, quia de neutro iudicio id statutum inuenitur.

³ Dices, Citatio facta ad petitionem excommunicati notorj valida non est, quandoquidem non obligat alium ad comparandum: quia hoc esset obligare illum ad communicandum cum excommunicato, quod repugnat: ergo eadem ratione reliquae actiones nullae sunt: quia non est maior ratio de ceteris, quam de illa prima, quae est veluti fundamentum aliarum. Respondetur eam actionem esse inuolida, quantum ad absolutam vim obligandi, vt argumentum probat: non tamen simpliciter: quia, si reus sic citatus comparere velit, illa citatio sufficit ad causam prosequendam, donec obiciatur exceptio. Quod si reus, sic citatus nolit comparere, saltem obligabitur causam reddere suo superiori, excommunicationem obiciendo. Atque hoc fere modo reliquas omnes actiones validas dicimus: semper enim relinquunt liberam facultatem obiciendi praedictam exceptionem, tamen si illa non interponitur, ille valide manent, suspenduntur vero statim a talis obiectio fit. Adeo vt, licet fiat post sententiam latam executio suspendenda sit, iuxta dictum caput primum de Exceptionibus in sexto. Obiecta autem absolutione tollitur suspensio, vt possit in lite, vel executione progredi ab eo puncto in quo interrupta fuerat.

A Ex his autem potest inferri non esse peccatum mortale per se loquendo, & ex vi solius excommunicationis, si excommunicatus ius suum petat in iudicio, illudque prosequatur, donec per exceptionem excommunicationis iuridice repellatur. Dico autem, *per se loquendo*: quia si interueniat iniustitia ex parte causae, quae proponitur, vel dolus, & fraus in repellenda exceptione, vel quippiam simile, ex eo capite esse poterit peccatum mortale. At vero, si quis petat rem iustam, & alioqui sibi debitam; & bona fide procedat, & absque contemptu Ecclesiasticae censurae, solum veluti ex humana fragilitate ob rem suam recuperandam, non videtur esse mortale crimen. Et quoad hoc est probabilis sententia Caietani superius citata, quae maxime procedet, si causa litis non sit admodum grauis, nec diuturna, ita vt sine continua, vel magna communicatione agi possit. Deinde, si aliquae rationes, seu causae graues intercedant, quae tales interdictum esse possunt, vt non solum sine graui culpa, verum etiam sine culpa, & possit agere excommunicatus, & ipse iudex possit, & debeat illum admittere, praeterim secularis, qui potestatem non habet ad absolendum illum, etiam ad illum actum. Huiusmodi autem causa erit, si magnum praedictum, & periculum grauis damni imminet auctori ex dilatione, & mora, si prius ei procuranda sit absolutio quam in iudicio audiat, vt si moraliter timeatur fuga debitoris, nisi iudice capiatur, vel si aliquid animae periculum timeret, nisi per iudicem ei subueniatur. Nam in huiusmodi euentibus non tam potest dici agere, quam se defendere, & tueri, & ad hoc iudicis officium implorare: quod semper ei licet, vt in citatis iuribus dicitur. Item, quia ob vitandum graue damnum licitum est excommunicato communicare cum aliis, & aliis cum ipso, quando est periculum in mora, si expectetur absolutio: ergo eodem titulo licebit tali excommunicato agere, & iudicium illud admittere. Quod etiam Abbas, & Alij Canonistae concedunt in dicto capite. *Cum inter*, de Exceptionibus, & in aliis locis supra citatis.

SECTIO IV.

Utrum Excommunicatus possit ad iudicium cogi vt reus.

Rincipio dicendum est, excommunicatum posse compelli in iudicio esse tanquam reum, non solum in causa ipsius excommunicationis, quod per se notum est, sed etiam in quacunque alia, in qua fuerit prouocatus, seu postularus. Haec est communis, & certa sententia, & aperte traditur in cap. *Intelleximus*, de Iudiciis, vbi & ratio redditur, quia excommunicatus non debet commodum ex sua contumacia reportare: magnum autem esset illi commodum, si vel pro debito, vel pro crimine conueniri non posset, & ad comparandum compelli. Ex qua absoluta decisione, & ratione eius colligere licet, teneri excommunicatum reum, posseque compelli ad praestandum in iudicio ea omnia, quae cogi posset efficere, si excommunicatus non esset, vt verbi gratia, respondere, parere, &c. Patet, quia si aliqua in re excusari posset propter excommunicationem, quantum ad id commodum reportaret: at nulla in re sentire debet commodum ex contumacia, & excommunicatione. Item, quia qui ad principale obligatur, etiam ad ea quae necessario sunt illi coniuncta, & ad quae praecipue ordinatur, consequenter obligandus est: sed comparere in iudicio non est nisi propter actiones, quae inde consequuntur, & quae sunt veluti necessario concomitantes huiusmodi citationem, quia alias frustranea esset, & inutilis, ergo.

Hinc

Seet. IV. Vtrum excom. possit vt reus ad iudicium, &c. 275

Hic vero ulterius sequitur, vt etiam ipsi excommunicato licita sint in tali iudicio omnia illa, quæ cuiuslibet reo agere licet ad sui defensionem, & consequenter quod ad omnia ea præstanda admitti debeat, vt verbi gratia, ad obiciendas exceptiones, vel contra ipsum actorem, vt eius petitionem iniustam esse concludat, vel contra ipsum iudicem, si eum suspectum habeat, aut contra testes, &c. Ratio est, cum quia ius defensionis est tam intrinsecum, & naturale, vt nemini denegetur, tum etiam quia naturalis equitas hoc postulat: nam si cogeretur comparere excommunicatus tanquam reus, & non posset se defendere, id nihil aliud esset, quam vt condemnaretur, cum iudici tradere, & consequenter infinitis calumniis, & iniuriis illum exponere; quod esset contra rationem, & equitatem.

Atque ob eandem rationem conceditur huiusmodi excommunicato reo, vt appellare possit à quacunque sententia contra se lata: nam etiam appellatio habet rationem iustæ defensionis. Quæ omnia expresse traduntur in capitulo, Cum inter, & capitulo Vltimo, de Except. & facit etiam capit. Reuer. tertio, quæstione nona, cum aliis, quæ ibi Glossa, & Doctores afferunt, qui hæc latius prosequuntur & declarant. Nobis solum aduertendum est, hæc omnia intelligenda esse extra causam ipsiusmet excommunicationis: nam, si sermo sit de sententia per quam excommunicatio fertur, si ab illa excommunicatus appellet, solum vt ab iniusta, seu iniuste lata, audiendus non est donec absolatur: quia per illam sententiam vere ligatus manet in Ecclesiastico foro; & ideo contemnere Ecclesiasticam censuram videtur, qui neglecta absolutione, à tali sententia appellat. At vero si ita prouocet à sententia lata, vt eam nullam esse contendat, tunc admittendus est, vt supra diximus ex capit. Per tuas, de sententia excommunicationis, & capit. Cum contingat, de officio delegati.

Aliqua dubia proponuntur & enucleantur.

Am vero querere hic aliquis potest, an huiusmodi excommunicatus reus per se ipsum admittendus sit in iudicio ad respondendum, & ad omnia quæ inde consequuntur, vel solum per alium seu per procuratorem. Item queri potest, an sit admittendus antequam absolatur, quando in potestate eius est prius absolui, neque est quod impediatur. Item an aliquando possit reus citatus se excusare, propter excommunicationem, maxime quando ob eandem causam opera seu petitione eiusdem actoris excommunicatus est. Denique inquiri potest quid dicendum sit, quando reus non cogitur ex necessitate comparere: potest tamen, & est illi commodum, an possit id agere, etiam si excommunicatus sit.

Ad primam interrogationem responderi videtur in dicto capitulo Intelleximus, de iudiciis, vbi dicitur Debet per alium in iudicio respondere. Ex quibus verbis constat primo excommunicatum posse per alium respondere, & consequenter posse valide, & licite procuratorem pro se constituere, & procuratorem similiter posse pro illo causam agere: eumque defendere: nam hæc omnia sese consequuntur, & si ne illis, aut inutilis, aut irrationabilis esset illa confessio: nam, si non posset valide procuratorem constituere quo modo posset per alium respondere? aut si non posset vterque licite id præstare, quod ad ipsum pertinet, qua ratione illa confessio honesta, & iusta esset? Probabile etiam esse debere per alium, & non per se ipsum respondere, ita vt aliud non liceat: nam verbum Debet, hanc vim habet: obligatio autem respondendi per alium consequenter facit, vt sit illicitum respondere per se. Alioquin nihil operaretur illa particula per alium in textu illo posita, &

consequenter inutilis fuisset illa additio. Et confirmatur, quia hoc modo sufficienter prouidetur actori, & iudici, & reo, & aliunde evitatur communicatio cum excommunicato, quantum commode potest: ergo ipsa censura obligat, vt hic modus seruetur. Atque ita sentiunt Decius, & alij in dicto cap. Intelleximus, & in capit. Vltimo de Exceptionib. cum Glossa in cap. Pastor dicit, de iudiciis.

Nihilominus addendum est, excommunicatum simpliciter loquendo, non esse cogendum per alium agere causam suam, sed posse per se ipsum respondere, si velit. Et primo quidem, si necessitas aliqua urgeat, id non cadit in dubium, vt dicti etiam auctores, & omnes infra citandi fatentur, vt verbi gratia, si non inueniatur idoneus procurator, cur reus audeat suum negotium committere: vel si adeo sit pauper, vt non possit tot expensas in iudicio facere. Sed & extra hos casus absolute id tenet Glossa in dicto capitulo Intelleximus, dicens, Non credo illum compellendum, quia forsitan non inuenit, qui ita fideliter tractet causam suam. Quibus verbis insinuare videtur, solum propter necessitatem, non esse sic cogendum: mens tamen eius est necessitatem hanc esse quasi intrinsecam, & moralem, quia negotia humana fideliter, & accurate non tractantur per alium solum, & ideo cogendum reum non esse, ne possit per se ipsum respondere, aut se defendere. Maxime, quia sepe potest quis per se ipsum & non per alium respondere ita vt satisfaciatur, & se defendat, vt experientia notum est. Vnde propter eandem rationem dicitur in capitulo secundo de Procuratoribus in grauib. causis neminem cogendum esse procuratorem constituere, nisi velit. Atque ita secuti sunt hanc sententiam Innocentius, Abbas, Hostiensis, & alij locis citatis.

Iuxta quorum opinionem cum in dicto capitulo Intelleximus, dicitur, Debet per alium, subintelligi debet, saltem per alium: vel illud verbum Debet, refertur ad verbum respondere: id enim per se ac directe agebatur, & interrogatum fuerat in illo textu: interpositum autem est verbum illud per alium, ad insinuandum modum sufficientem; & fortasse etiam magis decentem, vt probat ratio superius facta de evitanda communicatione quoad fieri possit: non tamen simpliciter necessarium: non enim omnia quæ obiter, & incidenter dicuntur, eiusdem obligationis sunt. Præsertim cum in capitulo Decernimus, de Sententia excommunicationis in sexto absolute dicatur, excommunicatum ab agendo, & atrocinando, & testificando repellendum esse, de respondendo autem, aut seipsum defendendo nihil dicatur: cumque iura alia simpliciter concedant excommunicato reo, vt possit se defendere capitul. Cum inter, cap. vlt. de Exceptionib. & aliis supra citatis. Propter quæ sententia hæc mihi videtur practice secuta: quæ magis locum habebit, si iuxta dicenda ad secundam interrogationem finitur.

Positum excommunicatus in iudicio audiri ad suam defensionem si antea potest obtinere absolutionem.

Ad secundam interrogationem quidam dixerunt, excommunicatum reum non esse admittendum in iudicio etiam ad sui defensionem, si ipse in mora sit petendæ absolutionis, vel donec absoluitur, si potest. Ita refert Felinus in capitulo Intelleximus, numero decimo nono de iudiciis. Nec videtur improbabilis sententia, si in hunc modum explicetur, quod in his, quæ spectant ad commodum actoris, & sunt onerosa reo, simpliciter cogi potest, etiam si absolui contemnat, quia non debet repor-

Reportare commodum ex sua iniquitate: imo propter illam potest magis compelli, & onerari: in iis vero quæ spectant ad commodum & defensionem eius, non admittatur donec absoluat, vel saltē à contumacia recedat, & quod in se est, faciat, vt absoluat: quia illi necessarium non est se defendere in statu pertinaci, & excommunicationis, cum per illum stet, quominus absoluat: ergo non est cur iura illi concedant defensionem & communicationem in eo statu: ergo cum concedunt excommunicato defensionem intelligunt, si illa indigeat in eo statu, quasi facta compositione, quod illum defendere non possit. Et sane (quidquid sit de exteriori foro) nulla apparet sufficiens ratio, ob quam in conscientia concedendum sit excommunicato, vt liceat possit communicare cum aliis, etiam ad sui defensionem, cum sine periculo possit prius excommunicatione liberari, & postea se defendere. Esetque minus rigorosa hæc sententia, si iuxta dicta in proximo superiori puncto, distinctione uteremur, dicentes, excommunicatum saltem per se ipsum non admitti in iudicio ad ea, quæ sibi sunt commoda, nisi prius à contumacia recedat, & absoluat, si non est periculum in mora, vel alia peculiaris ratio, quæ absolutionem absque culpa eius impediatur, propter rationem factam: per procuratorem autem admitti posse & debere, iuxta capit. *Intelleximus*, quia tunc vitatur communicatio, qua ablata integrum manet naturale ius defensionis eo modo, quo fieri potest.

⁹ Sed, quamuis hæc potuerint ab Ecclesia præcipi, si tamen spectemus ius scriptum, cui standum est, non videtur necessarium hac in re scrupulos iniicere. Nam ius Canonicum absolute concedit excommunicato, vt se defendere possit in iudicio, capitulo, *Cum inter*, capit. *Dilecti filij*, & capitulo ultimo de Exceptionibus, & non exigit vt prius absoluat, aut, quod in se est, faciat: non est ergo cur nos ei hoc onus imponamus. Item licet Ecclesia potuerit hoc rigore uti, noluit, fortasse quia erat res nimis acerba, & quia interdum non potest facile iudicari, an sit periculum in mora, & an quis peccet, non prius procurando suam absolutionem. Atque hoc maxime verum apparet, quando reus excommunicatus coram seculari iudice se defenditur, aut coram alio Ecclesiastico, qui excommunicationem non tulit, nec de ea potest cognoscere: huiusmodi enim iudices non possunt iuridice cognoscere, an talis excommunicatus sit in mora petendæ absolutionis, necne: ergo non possunt hoc titulo eum repellere à sui defensione. Quæ ratio saltem probat non posse pati repulsam in foro exteriori: rursus cum ipse possit licite uti iure suo, quod ei decreta non auferunt, sed potius simpliciter confirmant, etiam ad conscientiam forum id merito extenditur.

¹⁰ At vero si esset idem iudex, qui excommunicationem tulit, & apud quem alia causa agitur, in qua excommunicatus vult se defendere, tunc sicut potest ille iudex aliis modis seu pœnis, & grauaminibus impositis cogere huiusmodi excommunicatum vt à pertinacia recedat, ita existimo posse, nolite illi audire ad sui defensionem in alia causa, nisi prius in altera Ecclesiæ satisfaciatur. Quia hoc medium ad compellendum illum, non est per se malum, vt constat, neque est speciali iure prohibitum: nullum enim assignari potest. Illa enim iura, quæ generatim concedunt excommunicato defensionem, non tollunt iudici potestatem ad compellendum illum, per illud medium potius quam per aliud: eum ergo supponamus iudicem habere iurisdictionem in utraque causa, optime potest uti illa onerando seu granando illum in vna causa, vt in alia ad Ecclesiæ obedientiam illum trahat. Dico autem posse iudicem hoc facere, non tamen teneri, quia nullum in-

uenio sufficiens ius, quod illi hanc obligationem imponat per se loquendo.

Tertia interrogatio erat, si contingat Petrum, verbi gratia, excommunicari ad petitionem Pauli, quia non vult ei debitum solvere, aut restituere, & postea idem Paulus coram iudice seculari prouocet Petrum propter aliam causam, an possit tunc reus sic prouocatus se excusare, & comparere nolle, donec actor ab excommunicatione desistat eumque absolui permittat. Videtur enim non posse: nam ius absolute disponit, vt huiusmodi reus citatus respondere teneatur, & non limitat quod huiusmodi reus excommunicatus sit ad petitionem alterius, vel eiusdem actoris: ergo nec nobis licet hanc limitationem addere in grauamen actoris non excommunicati, & leuamen rei excommunicati. Præsertim quia nulla apparet sufficiens ratio, cur actor priuari debeat suo iure ad prouocandum reum coram alio iudice, eo quod ipsum excommunicatum teneat. Respondent aliqui, hoc verum esse quando excommunicatio fuit iusta, secus vero esse, si huiusmodi reus excipiat se fuisse iniuste excommunicatum, & id probeat: nam tunc aiunt non esse compellendum respondere suo actori, nisi prius absoluat, quia tunc se habet tanquam iniuste spoliatus, quia accusare aut conuenire non potest, nisi prius in suum statum restituatur, iuxta capit. *Nullus* 2. quest. 1. eo. & capit. *Frequens* de Restitutione spolia. in sex. & ita sentiunt Glossa & Doctores in cap. *Cum inter*, de Exceptione. Esetque indubitata sententia, si huiusmodi reus allegaret excommunicationem non solum iniustam, sed nullam fuisse, quamquam tunc non indigeret absolutione, sed declaratione. At quando proponit sententiam fuisse iniustam, difficultatem habet illa sententia, quia si id non probeat, non potest propter ea excusari; ad probandum autem non videtur posse admitti nisi prius absoluat, iuxta capit. *Cum contingat* de Officio delegati, & capit. *Per tuas*, de Sententia excommunicationis. Nihilominus tamen sententia illa communis valde probabilis est, nam quia reus excommunicatus per huiusmodi exceptionem, & probationem, directe intendit consequi absolutionem respectu sui actoris, à quo post iniuriā factam conuenitur: ideo totum id habet rationem iustæ defensionis. In capitulo autem *Cum contingat*, & cap. *Per tuas*, sermo est de illo, qui directe agit contra excommunicatorem suum, & de excommunicatione tanquam de iniusta sententia conuenitur: tunc enim propter affirmationem excommunicationis ne parui pendere videatur, & quia, licet sic excommunicatus probeat iniustitiam sententiæ, nihilominus absolutione indiget, ideo merito ab eo postulat vt prius absoluat. Quia tunc non habet rationem ullam cur prius probare velit iniustitiam suæ excommunicationis, nec per illam intendit citius aut breuius absolutionem obtinere, sicut in priori casu.

In quarta interrogatione communis doctrina Canonistarum est, ea omnia quæ hæcenus diximus de reo, intelligenda esse de illo, quem necessarium appellat, id est, qui per citationem specialem, vel generalem in ius venire compellitur: non autem habere locum in reo voluntario, vt est ille, qui petit vt actor iudicium suum prosequatur, vel qui exceptionem obicit antequam conteniatur; ac in vniuersum qui ob suum commodum in iudicium sisti vult, cum possit non respondere, quia non compellitur, nec vocatur: nisi sub ea conditione, si voluerit, vel si ei commodum fuerit. Et ratio est, quia dictū caput. *Intelleximus*, loquitur de reo, qui in iudicio respondere compellendus est, quique grauamen, & onus sentit comparando in iudicio, non commodum. hic autem reus voluntarius nec simpliciter cogitur comparere; ideo enim voluntarius dicitur; nec ob actoris, sed ob suum commodum.

dum comparat: ideo enim voluntate propria sibi in iudicio procurat, ergo, cum in hoc negotio non consulatur commodum seu favori ipsius excommunicati, decisio illius capit. Intelleximus, non procedit in huiusmodi reo voluntario, sed solum in coacto. Et confirmatur, nam huiusmodi reus moraliter vim habet, & efficaciam actoris: nam ipse promouet licet, & auctorem ad agendum compellit, vt, verbi gratia, in casu I. Diffamare. C. de Ingeniis manumissis, quia apud iudicem procurat, vt alius probet se esse seruum eius, quamuis posita in ea lite se gerat vt reus, tamen reuera ipse cepit agendo contra alium, qui illum diffamabat, & se iactabat esse dominum eius: ergo merito huiusmodi communicatio per modum rei voluntarij excommunicato nō conceditur. De qua re videri possunt plura apud Innocentium, Abbatem, & alios in dicto cap. Intelleximus, de Iudicijs, & in cap. Cum inter, & cap. Dilecti filii, de exceptione. ad nostrum enim institutum hæc sufficiunt.

SECTIO V.

Virum excommunicatus possit tabellionis munus exercere.

Dicendum in primis est, tabellionem quamdiu excommunicatus est, non posse licite munus suum exercere propter prohibitionem generalem, quam ex vi excommunicationis habet non communicandi cum alijs: constat enim non posse tale munus exerceri absque humana communicatione. Et ob eandem rationem alij etiam non possunt huiusmodi tabellione excommunicato vt ad instrumenta conficienda, cum id non possint consequi, nisi communicando cum illo. Quanta verò sit grauitas huius culpæ ex dicendis constabit.

Statim enim occurrit dubitatio de alijs tractata, an tabellio ita sit per excommunicationem exclusus ab vsu sui muneris, vt si instrumenta aliqua conficiat, inualida sint, neque eis fides, quæ instrumentis publicis debetur adhibenda sit. Loquimur autem per se & ex vi excommunicationis, quæ publica & nota sit: nam si sit occulta, ex superioribus iam constat generalis regula, acta ab excommunicato occulto ratione publici muneris valida esse, etiam si facta à publico futura essent nulla: quia ob publicam utilitatem ipsa Respublica, seu Ecclesia supplet illum defectum iuxta l. Barbatius. ff. de Offic. prator. De excommunicato ergo publico est sententia communis Canonistarum, acta ab illo in officio tabellionis nulla esse. Imo generalius principium eorundem Doctorum est, acta ab excommunicato publico virtute publici officij ipso facto nulla esse. Ita docent in c. Ad probandum, de re iudic. & ex illo textu id colligunt, quamuis ibi solum de iudice, imo & de Ecclesiastico iudice, vt supra animaduerti, sermo sit: ipsi autem ad quodlibet publicum officium id extendunt, quale esse tabellionis officium manifestum est: ergo acta ab excommunicato ex vi huius muneris nulla erunt. Secundo, & principaliter hoc probant ex cap. Nullus, quæ sit, vbi sic habet Stephanus Papa: Nullus anathematizatorum suscipiatur, nec à quoquam credatur quæ ab eis dicuntur, vel conscribuntur: ergo instrumenta ab excommunicato conscripta non faciunt fidem, vt eis credi debeat; ergo sunt inualida: nam valor eorum in hoc solum consistit, quod eis omnino credendum sit. Atque ita intelligit textum illum Turrecremata, ibi cum alijs.

Vtrumque vero fundamentum difficultatē habet: primum quidem habet totam illam, quam supra de iudice tetigimus, quæ hic magna est, tum quia capit. Ad probandum, de iudice in terminis lo-

Fr. Suarez tom. 5.

A quitur: & ideo maiori probabilitate extendi potest ad iudicem secularem, quam ad tabellionem, vel ad quodlibet aliud ministerium, tum etiam quia iudex habet iurisdictionem, per cuius subtractionem, vel suspensionem actus eius irriti efficiuntur: at tabellio iurisdictionem non habet, vt per se notum videtur, & fusè tractat Abbas in cap. Sicut te, ne Clerici, vel Monachi, num. 12. & sequentibus: non est ergo similis vtriusque ratio. Rursus dictum cap. Nullus, non videtur satis probare à tabellione excommunicato nulla esse: quia ibi non est sermo in specie de tabellione, sed generatim dicitur, vt non credantur quæ ab excommunicato dicuntur, aut conscribuntur: quod ad accusatorem, & ad testem, & ad quamlibet aliam personam, tam in iudicio, quam extra iudicium dirigi potest: & ita Turrecremata ibi verba illius textus tam ad accusatorem, quam ad testem accommodat, referens alios. At vero neque accusatio, neque testimonium verbo, vel scripto datum ab excommunicato, est ipso iure nullum, nisi repellatur: ergo nec tabellionis ministeriū. Quod ergo in eo textu dicitur, non credantur, prohibio quædam est, sicut ibidem dicitur, non suscipiantur: vel sicut alij actus communicationis cum excommunicato prohibentur, ex vi tamen huius simplicis prohibitionis non irritantur: ergo idem erit in presenti.

Dices hoc ipso quod scripturæ factæ ab excommunicato credi prohibentur, necesse est, vt suum valorem amittant, & consequenter nulla, & irritæ fiant; quia totus valor talium scripturarum est, vt eis sit adhibenda fides, imò non solum vt possit sed etiam vt debeat adhiberi. Si ergo illis potest fides denegari, vel potius deneganda est, sit necessario vt inualida sint, & nullius momenti in suo ordine. Respondetur huiusmodi scripta ab excommunicato credenda non esse vel antecedenter (vt sic dicam) vel si solâ eius autoritate fiant. Dico autem, si solâ eius autoritate fiant, qui illius excommunicationem ignorant, per dolum, & fraudem ad scripturam faciendam se ingerat: tunc satis verisimile est scripturam illam inefficacem, & inutilem esse propter rationem ex illo textu sumptam, quod vnusquisque potest, vel potius debet ei non adhibere fidem. At vero si partes ipsæ vel ob necessitatem, & causam rationabilem, vel certe quia graue non existimant participare in hoc cum excommunicato, illum admittant ad scripturam publicam faciendam, iam tunc siue licite, siue illicite antecedenter dici possunt credere excommunicato illum admittendo, vt fide dignum ad scripturam faciendam, & quoad hoc iam violarunt, vel non seruauerunt legem latam in dicto. cap. Nullus: Vnde videtur ulterius consequi, postea non posse illam scripturam rejicere vt inualidam, vel insufficientem: quia iam cessarunt iuri suo; & quod semel placuit, amplius displicere non potest, vt dicitur in regula 21. iuris, in 6. Sic ergo acta à tabellione publice excommunicato, si fiant ex consensu partium non ignorantium eius excommunicationem, videntur esse rata, & valida ita vt & ad inducendam obligationem, & ad fidem faciendam sufficiant. Et ad hoc confirmandum valere possunt, quæ de Tabellione tractat Panormitanus in dicto cap. Sicut te, dicens, aliquando esse validum instrumentum eius ex consensu partium factum, quod alias non esset: quia est veluti actus iurisdictionis voluntariæ, quæ extra territorium operatur ex consensu partium.

Hæc ergo opinio in foro conscientie mihi videtur vera, nimirum quod scriptura ab excommunicato facta inter aliquos ex consensu eorum obligationem in conscientia indicat: vel si sit testamentum, valida sit institutio hæredis in eo facta quoad

Aa forum

Cap. Nullus. expli-
catur.

Tabellio-
nus scriptu-
ra si vali-
da, debet
contrahen-
tes consen-
sire scilicet
excommu-
nicationis.

Opinio af-
firm. præse-
tur in foro
conscientie.